

»Filius, qui in Patre est, in quo etiam est Pater, non est res creata... Ita et Spiritum S. qui in Filio est, et in quo Filius est, inter res creatas collocare... nefas omnino erit.»

Ambrosius (1): «Sicut Pater in Filio et Filius in Patre, ita »Dei Spiritus et Spiritus Christi et in Patre est et in Filio.» Ita passim SS. loquuntur Patres.

3.º Quaelibet Persona est idem, ejusdemque immensitatis, cum Essentia. Ergo necessario et ubique, una Persona inest et fulget in alia simul cum Essentia.

(1) *De Sp. Santo*, l. 3, c. 1.

DISQUISITIO VI.

DE DEO CREATORE

seu

Secundum emanationem ad extra.

Cum de Deo, *secundum se*, juxta christianam dixerimus doctrinam, oportet secundum respectum ad creaturas de Illo disserere: inde namque juvari debet theologus, ut in divina scientia proficiat: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator eorum videri* (1). Tria in rebus universim cernimus: esse, agere seu movere, et pati seu moveri; effectus autem indicium existunt *virtutis*, qua causa operatur: in quatuor ergo capita hanc partimur disquisitionem.

DIVISIO GENERALIS.

CAPUT I. De Deo, ut causa existendi.

- II. De Deo, ut concausa, seu cum creaturis operante.
- III. De Deo, ut providente et creaturas movente.
- IV. De Deo, secundum ipsam ad extra operandi virtutem.

CAPUT I.

De Deo, ut causa existendi.

ARTICULUS I.

De Deo, ut est causa efficiens essendi.

THESIS I.

Deus est omnium rerum causa efficiens essendi, seu existendi.

1. Doctrina, quam hic tuemur, est fide certa: de modo autem quo est Deus causa malorum, infra dicetur.

(1) Sap. XIII, 5.

Prob. 1.^o Vaticanum Conc. definivit (1): «Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas: anathema sit.» In symbolo fidei Constant. credimus in «Deum... factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.»

2.^o Testantur et sacrae Litterae: *Omnia per ipsum facta sunt* (2), ait sanctus Joannes; et Paulus (3): *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Et primi fideles (4) orantes ajebant, cum David propheta: *Domine, qui fecisti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.* Denique notum est, initio Scripturae sacrae, describi rerum omnium productionem (5): *Vidit Deus cuncta quae fecerat.*

2. 3.^o Cum adeo aperta haec christiana fides eluceat, rem inanem perficere videremur, si Patrum cumularentur testimonia: sat erit solemne S. Justinii laudare dictum, ex Apologia ad Imperatorem Titum Antoninum: «In omnibus oblationibus laudamus Creatorem omnium per Filium ejus J. C. et per Spir. S.» «Quis igitur sanae mentis homo non fateatur, atheos nequaquam nos esse, qui opificem hujus universitatis colimus... laudantes pro creationis beneficio... precibus eum exorantes, ut rursus incorrupti fiamus?» Et in Dialogo cum Triph. «Nec alius umquam erit Deus, o Tripho, nec alius a seculo extitit, praeter eum, qui hanc universitatem fecit ac disposuit.» Haec nempe semper christianorum fuit fides: «Solus Deus nullius indiget... Solus Deus non factus... cunctarum rerum causa, est bonitas ipsius,» ait S. Ephrem (6).

4.^o Perspicuam hujus, tum theologicae, tum philosophicae, doctrinae, exhibet rationem Angelicus Doctor (7). Solus Deus est ens per essentiam suam, seu a se. Atqui omne ens per participationem, seu quod non est a se, nequit actu existere nisi fiat ab alio; ergo res omnes, praeter Deum, actu existentes, et quae unquam extiterunt, aut existent, oportet ut a Deo procedant tamquam a causa efficiente. *Majorem supra* (8), solido argumento, ostendimus.

3. Obj. Id quod praesupponitur effectioni, nequit esse effectum (9). Atqui cuilibet effectioni aliquid praesupponitur: ergo non potest Deus omnium esse causa efficiens. *Min. prob.* Per quamlibet effectionem non emanat a causa nisi aliquid *esse*: «Fieri ordinatur ad *esse rei* (10).» Atqui *esse* praesupponit aliquam essentiam: ergo

(1) C. *Dei Filius*, cap. I, de Deo, creatore, can. 5. — (2) Jo. I, 3. — (3) Rom. XI, 36. — (4) Act. IV, 24. — (5) Gen. I, 31. — (6) *Confessio S. Ephrem*. — (7) P. I, q. 44, a. 1. — (8) Disq. IV, thes. VI. — (9) S. Th. P. I, q. 45, a. 2. — (10) P. I, q. 45, a. 4.

cuilibet effectioni aliquid praesupponitur. *Maj. prob.* Nihil effici potest in genere, sed tantum in singulari: ergo per quamlibet effectionem non emanat nisi aliquid *esse*: «unde illis proprie convenit fieri et creari quibus convenit *esse*: quod quidem convenit proprie subsistentibus (1).»

Min. patet etiam. Ait enim S. Thomas (2): «Ipsam esse comparatur ad essentiam, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad potentiam.» Ergo quodlibet *esse* quod fit, praesupponit essentiam, quae necessario prior est, sicut potentia est prior actu.

Nec dicas, *simul fieri esse et essentiam*: nam licet possis id aliquatenus intelligere, quod simul *tempore* fiant, non tamen simul *natura*: prioritatem enim *naturae*, ideoque a parte rei, prior est potentia quam actus.

4. Resp. Nego *minorem* primi syllogismi. Deinde, distinguo *minorem* secundi: quodlibet *esse* praesupponit aliquam essentiam *realiter* ab eo distinctam; nego *minorem*: distinctam tantum secundum intellectum; concedo. Denique, pari modo, distinguo *minorem* tertii syllogismi: *esse* comparatur ad essentiam sicut actus ad potentiam, distinctam tantum secundum intellectum; concedo *minorem*: distinctam *realiter*; nego, vel si mavis, subdistinguo: si *esse* comparatur ad essentiam postquam facta est, distinguuntur *realiter*: nego: si *esse* comparatur ad essentiam, antequam haec fiat, seu cum tantum *objective* erat in mente divina, distinguuntur *realiter*; concedo *minorem*, et nego *consequentiam*. At, hoc quidem modo, si essentia conferatur, postquam jam est facta, cum semetipsa antequam fiat, et est *objective* tantum in Deo, distinguitur etiam *realiter* a semetipsa; sicut *esse factum* distinguitur *realiter* a nihilo et a Deo: haec autem *realitas* non est ex parte utriusque extremi comparisonis, nisi cum Deo fiat comparatio; nam *nihil* non est quid reale. Sic ergo essentia, praecisione facta ab *esse*, seu antequam sit, distinguitur *realiter* ab *esse*; realitate desumpta solum ab *esse*: praeter hanc enim non habet aliam nisi *objectivam* in mente divina.

Haec est vera ac genuina S. Thomae doctrina, quam nonnulli miris obscurant cavillationibus.

5. Obj. 2.^o Alio argumento metaphysico et abstractiori, e Divo Thoma (3) deprompto, ostendi videtur essentias rerum non fieri a Deo. «Unumquodque est per suum esse.» Quod igitur non est suum esse, non est *per se nec necesse esse*, nec *contingenter esse*. Atqui essentiae rerum a Deo factarum non sunt suum esse: ergo

(1) P. I, q. 45, a. 4. — (2) P. I, q. 3, a. 4. — (3) *Contra Gentes*, I, 5, c. 22.

non sunt, *per se*, contingenter esse, adeoque fieri a Deo nequeunt; neque *nesse esse*, et consequenter non sunt.

Major, praeterquam quod est evidens, quasi principium, a *S. Thoma* traditur.

Resp. ergo, negando *min.* vel etiam distinguendo, ut inde magis eluceat nuper tradita praecedentis objectionis explicatio. Essentiae rerum a Deo factarum non sunt suum esse *objectivum*; concedo; non sunt suum esse *reale*; nego *minorem*.

Unde, nego, vel distinguo *consequens*: essentiae rerum non sunt, *per se*, contingenter esse quoad suum esse *objectivum*; concedo: quoad suum esse *reale*; nego *consequentiam*.

6. Iterum ergo elucet quae gravissima sequantur, ex ista prava doctrinae *S. Thomae* interpretatione, corollaria. Poteris, insuper, ex hac responsione intelligere cujusdam recentis et clari philosophi doctrinam (1): «Esse (existentia) est effectus divinae voluntatis; haec determinat actum primum. Verum ordo ipsorum entium et eorum essentia provenit ex intellectu divino, ex ideis archetypis, in quibus objective inveniuntur rerum essentiae... In actu creante considerare oportet potentiam, quae dat actum primum essendi, et insuper ideam, quae simul determinat actum istum in una vel alia essentia.» Quae quidem si de rerum essentia in sua realitate intelligeres, haberes pantheismum purum; si vero ad essentias in Deo *objective* conceptas referas, intelliges veram et unicam distinctionem inter essentiam et existentiam. Quomodo, sane, potest *realis essentia* fingi a potentia et voluntate divina independens, nisi quid divinum illa sit? Quo pacto potest actum primum (existentiam) idea archetypa determinare? potest quidem remote et in mente Dei, minime autem proxime et formaliter. Distinctio ergo realis, non inter essentiam et existentiam actu creatas invenitur, sed inter essentiam existentem, seu creatam, et essentiam *objective* in Deo perpensam.

SCHOLION.

7. Vide mentem *S. Thomae* disserte expositam, juxta Suarezium, in ephemeride *La Civiltà* (2): «Necessum est asserere, quod per creationem assequatur essentia *esse reale*, et hoc unicum habere *esse reale*, cum aliud ab aeterno non habuerit esse, nisi *objectivum* in mente divina.» Et iterum ait (ibid. p. 702): «Per istam existentiam *objectivam* essentiae, praecedentem ad realem existentiam, non inconvenienter dicitur, rem accipere esse.» Vi-

(1) *La Civiltà Cattol.* Series 12, tom. 6, pag. 315.—(2) Series 12, t. 5, pag. 703.

deas ergo non oportere quod habeat essentia realitatem actualem ab *esse*, seu ab existentia, distinctam, ut comparetur ad *esse* sicut potentia ad actum: «Essentia est cujus actus est esse.» Ideo recte concluditur (ibid): «Omnis difficultas evanescit, dummodo velimus considerare quod ipsa rerum essentia, quae in *esse objective* consideratur (in mente divina), recipit esse *reale* a causa efficiente.» Est ergo conficta ista *realitas* essentiae distincta et interposita, quae aliud sit ab essentia *objectiva* et *esse* reali.

8. Ex alio capite doctrinam *S. Thomae* penitus subvertunt qui istas duas actuales realitates (essentiae et existentiae) inducunt; statuit enim, tanquam primum et evidentissimum principium: «Nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi causa essendi, si habeat esse causatum (1).» Utique non sufficit; quia realitas ipsius *esse* non praesupponit in rebus aliam realitatem. Verum hoc *S. Doctor* ignorabat, quod quidam (qui appellari thomistae cupiunt) adinvenierunt; scilicet, praeter ipsius *esse* seu *existentiae* realitatem, dari in rebus *realitatem* essentiae, et quidem priorem prioritate naturae, nam *potentia* prior est suo *actu*. Quid ergo obstat quominus *esse* causetur «a principiis essentiae, sicut accidentia propria consequentia speciem» causantur (2)? Scio quid respondebit Angelicus: negabit fictionem istam dicens: «Quia esse est actualitas omnis formae vel naturae.» Si ergo ista realitas essentiae est actualis, et extra esse *objectivum* mentis divinae, inanis et fictitia est alia realitas ipsius *esse* seu existentiae; ideoque si *esse* essentiae est causatum, causata quoque est ipsa essentia, nec sufficit ut sit sibi causa essendi: «Terminus ad quem creationis est tota substantia rei (3).»

9. Hinc, in hypothesi quod in Deo esse et essentia non essent objective idem, arguit *D. Thomas* (4): «Oportet quod vel esse hujusmodi dependeat ab essentia, vel utrumque ab alia causa, vel essentia ab esse.» Cur autem non potest esse Dei ab essentia pendere? Ipse probat: «quia esse Dei *per se* necesse est esse.» Atqui id non obstat in esse creato, cum *per se* sit contingens; ergo ab essentia pendere poterit. Insuper ait (5): «Essentia rei vel est res ipsa, vel se habet ad ipsam alioquo modo ut causa; cum res per suam essentiam speciem sortiatur: sed nullo modo potest esse aliquid causa Dei, cum sit primum ens.» Atqui esse creaturae non est ens primum; ergo ab essentia causari poterit, si distinguatur.

Nec dicas: fingere nos divisionem inter essentiam et existentiam: minime fingimus, sed cogitamus quod vos fingitis, scilicet, esse

(1) L. 2, q. 3, a. 4.—(2) Ibidem.—(3) P. 1, q. 45, a. 1, ad 2.—(4) *Contra Gent.* l. 1, c. 22.—(5) *Contra Gent.* l. 1, c. 21.

realitates, etsi unitas, tamen distinctas; et inde argumentamur, sicuti D. Thomas argumentabatur. Volebat enim excludere a Deo eam distinctionem, vi cuius esset in Deo quidquam, sive esse sive aliud, quod non intraret in *definitionem ipsius*; id est, distinctionem *objectivam*: a fortiori ergo possumus nos argumentari de essentia et existentia, quales eas fingitis, scilicet realiter distinctas, etsi unitas: unio enim non tollit mutuam dependentiam, ac distinctionem.

10. Denique, ex alio etiam S. Thomae principio perspicuum est non agere de reali, sed de *objectiva* tantum essentia cum dicit, comparari esse ad essentiam uti actus ad potentiam. Ait enim: «Illud quod est proprie effectus Dei creantis, est illud quod praesupponitur omnibus aliis, scilicet *esse absolute* (1).» Item, ut ostendat esse infinitam potentiam creandi ait: «Oportet quod virtus agentis ex nulla praesupposita potentia, quale agens est creans, sit infinita; quia nulla proportio est nullius potentiae ad aliquam potentiam, quam praesupponit virtus agentis naturalis, sicut et non entis ad ens.» Atqui haec falsa sunt, et falso nituntur supposito, si existentia seu esse quod dat creatio, in essentia recipitur et unitur realiter a se distincta: hoc enim concessio, essentia praesupponitur existentiae, et consequenter datur aliqua realis proportio potentiae ad actum, nec se habent ad invicem ut non ens ad ens. Praeterea, exinde evanescit unica, qua nititur S. Doctor, ratio ut ostendat non posse ullam causam creatam cooperari instrumentaliter ad creandum: «cum creatio non sit ex aliquo praesupposito quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis.» Evanescit, inquam, ratio haec, si essentia se habeat tanquam potentia realiter distincta ab existentia, seu esse, quod in illa recipitur: poterit enim actio creaturae terminari ad essentiam quae finita est, et prior prioritate naturae, et inde eam disponere ad suum actum, scilicet ad *esse*, seu existentiam.

Unde videtur haec opinatio inducta, ut doctrinam S. Thomae penitus pessumdet ac evertat.

11. Confiungunt etiam isti, in eo differre Deum a creaturis, quod Deus sit *actus purus* per essentiam, creaturae autem sint actus realis seu *esse*, et potentia realis seu *essentia*; et inde non sunt actus purus. Haec illi. At falluntur: alia est magisque transcendentalis vera Dei a creaturis differentia: «Cum dicitur Dei essentia actus purus, indicatur quod sit entitas cui repugnat omnis potentialitas, id est, potentialitas *objectiva* et potentialitas passiva cujuscumque generis (2).» E contra creaturae; nam cum non sunt, possunt es-

(1) I. p. q. 45, a. 5. — (2) La Civiltà, series 10, tom. 4, pag. 280.

sentialiter esse; en potentia *objectiva*: cum autem existunt, possunt essentialiter non esse, seu reduci eorum actus ad potentiam *objectivam*: et insuper possunt *passive* mutari sine termino.

Unde nulla mens concipere, nemo, nisi sibi contradicere velit, potest concedere, quod differentia ultima et transcendentalis inter Deum, et creaturas reponenda sit, in distinctione actuali reali inter realitatem existentiae et realitatem essentiae. Cito enim tibi cogitanti occurret: in quo ergo differt a Deo realitas *esse* creati? Et realitas *essentiae* creatae, in quo discrepat? Excogitare in ipso *esse*, et fingere in ipsa *essentia* novam compositionem ex actu et potentia, nisi desipias, non valebis. Altior ergo et intimior et magis transcendentalis est differentia: scilicet, tum *essentia*, tum *esse* rei creatae in potentia sunt *objectiva* ex se, seu antequam actu creentur; creata autem et in actu constituta possunt ad *potentiam* reduci *objectivam*; Deus autem est actus seu *esse*, quod est per se necesse esse (1).

THESIS II.

Rerum, quae per actionem affectae sunt creativam, solus Deus causa existit.

12. **Nota I.** Ex proxime positis et probatis constat quidem rerum universitatem a Deo procedere, tanquam a prima causa efficiendi; utrum autem procedant res a Deo mediate, au vero immediate, non inde clare patet: existimare namque quis potest, effecisse Deum causam vel causas aliquas, et per easdem dein cetera condidisse; sic, ex. gr., ferrum igne calefactum aut ignitum, cetera deinde calefacit, aut ignita reddit. Ideo hac de re exquirere opus est: nam Durandus arbitratus est, Deum potuisse res omnes mediate solum efficere: quod sic reapse evenisse, antiqui quidam docuerunt haeretici et pagani philosophi.

Nota II. Unum existere tantummodo ens ab intrinseco necessarium ac, consequenter, improductum, supponimus (2): inde colliges, non potuisse res omnes contingentes ex aliis educi et fieri, sed aliquas, vel aliquam saltem, debuisse ex nihilo, tum sui tum subjecti, effici, seu (voce propria) creari. Hac ratione saltem, fide certum est, rerum universitatem fuisse a Deo creatam; scilicet, ad primam rerum respiciendo originem.

Nota III. Quidquid censuerit Durandus, certam existimamus, imo et de fide, thesim hanc; quamlibet, nempe, rem creatam immediate a Deo solo prodiisse, *quatenus creatam*.

(1) *Contra Gentes*, l. 5, c. 22. — (2) *Disq. IV, Thes. IV.*

13. Prob. 1.^o Vaticanum Conc. (1), antiquorum conciliorum et fidei symbolorum doctrinam confirmans, docet: «Hic solus »Deus omnipotenti virtute... ab initio temporis utramque de nihilo »condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.»

Quibus verbis, sensu obvio acceptis, tribuitur Deo *exclusive* universitatis rerum creatio: primo *universitatis rerum*; «utramque »creaturam spiritualem et corporalem:» secundo, *creatio*; «de nihilo condidit:» denique *exclusive*: «omnipotenti virtute, et ab initio »temporis, solus.»

Eadem fere confirmat sententia Conc. Lateran. IV. «Firmiter credimus et simpliciter confitemur, quod unus est verus Deus... »creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et corporalium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis »utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.»

2.^o Scriptura S. soli Deo rerum tribuit creationem: *In principio creavit Deus coelum et terram* (2). *Domine, tu es qui fecisti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt* (3). Et Isaias: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum* (4): Apostolus denique ait (5): *Qui autem omnia creavit Deus est*. Et Joannes (6): *Tu creasti omnia*.

14. 3.^o SS. Patres adeo Dei propriam credunt esse creationem ut, inter attributa Dei, creatorem esse praedicent, ac consequenter. Filii Dei et Spiritus Sancti divinitatem probent, quia iisdem asseritur rerum creatio. Unde Athanasius (7) ait: «Patrem aeternum esse, »immortalem, Regem omnipotentem. Deum, Dominum. Creatorem:» et in hoc... discerni Verbum a rebus creatis (Disq. V, n. 65. pag. 159). Sic et Chrysostomus valide contra Arianos argumentatur (8): «Cum dixisset *et Deus erat Verbum*, nequis putaret »minorem esse divinitatem Filii, subinde certa germanae ipsius divinitatis indicia ponit, dum et aeternitatis iterum meminit, et procreandi vim adjicit: *et sine ipso factum est nihil quod factum est*. »Quod quidem et ipsius Pater per prophetas, ubique substantiae »suae argumentum et indicium esse dicit: ac prophetae demonstrationis hoc genus assidue commemorant, neque id simpliciter, sed »adversus opinionem de idolis pugnantibus. *Dii enim*, ait, *qui coelum*

(1) C. *Dei Filius*, cap. I.—(2) Genes. I, 1.—(3) Act. IV, 24.—(4) XLIV, 24.—(5) Hebr. III, 4.—(6) Apoc. IV, 11.—(7) De Decret. Nic. Synod. n. 30.—(8) Hom. 4. in Jo.

»et terram non fecerunt, pereant. Et rursus: *ego manu mea extendi »coelum*; atque hoc divinitatis signum esse demonstrans, ubique »commemorat.»

Pariter ait Hilarius (1): «Humanae intelligentiae sensus hoc »respuit, ut Creator creatura sit: quia creatio per Creatorem.» Cyrillus quoque (2): «Divina et dominatrix natura eo maxime dignoscitur, quod faciendi et creandi vim habet: serva autem et creata natura, eo quod facta sit, et ad ortum perducta.» Athanasius explicat, docetque creaturam prorsus nullam creare posse (3); alioqui non per solum Verbum creata essent omnia, sed per superiores creaturas; quod fuit Marcionis et aliorum haeresis. Unde Apostoli laudat sententiam (4): *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum*. Ad rem quoque S. Ephrem; arguit enim divinae naturae scrutatores, et ait: «Homo vero luteus... Dominum cunctorum Creatorem rimatur?» (5). Et alibi (6) ipse: «Se ipsum facere nemo potest... Nam is esset, priusquam fieret... Solus Deus non factus. Vultis ineffabilem potestatis ejus cernere facultatem? Coelos et quaecumque in eis sunt verbo fecit. Hieronymus (7): «Deus essentiae suae nomen atque substantiae etiam ceteris impertit elementis, ut ipsa quoque esse dicantur; non quo »secundum naturam sint... sed ut esse dicantur, habent Dei bonitate donatum.» Item (8): «Ex creaturis consequenter Creator intelligitur, et in singulis operibus atque effectibus Dei magnificentia demonstratur.»

Et Augustinus (9): «Ars illa summa Omnipotentis Dei, per quam ex nihilo facta sunt omnia.» Et alibi (10): «Angeli nullam »omnino possunt creare naturam: solus enim cujuslibet naturae, »seu magnae, seu minimae, creator est Deus, id est, ipsa Trinitas, »Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus... Creare naturam tam nullus »Angelus potest, quam nec se ipsum.»

15. Haec sufficient, ut qua asseveratione tenent Patres Dei propriam esse virtutem creandi, eluceat. Quam doctrinam secutus S. Thomas (11) ait: «Oportet universaliores effectus ad universaliores et priores causas reducere. Inter omnes autem effectus »universalissimum est ipsum esse.» Quod et Doctor Eximius confirmat (12): «Deus solus fuit primum et proximum principium »creans hoc universum corporeum (idem, potiori ratione, docet de

(1) L. 12.—(2) L. 32 *Thesar.*—(3) Or. 3.—(4) I Cor. VIII, 6.—(5) Homil. de *incompreh. Dei natura.*—(6) *Confessio* S. Ephr.—(7) Ephes. III, 14.—(8) Dan. c. III, v. 57.—(9) Qq. 83, q. 78.—(10) *De Genes ad Litter.* l. IX, c. 15.—(11) P. I, q. 45, a. 5.—(12) *De Oper. sex. dier.* L. I, c. 1.

»mundo spirituali), quoad omnia illa quae per veram creationem
»fiunt; conclusio est contra omnes antiquos errores supra relatos,
»estque certa de fide.»

SCHOLION.

Haec sat ostendunt, quod ad factum pertinet, per solum Deum creationem esse factam: utrum autem aliter fieri potuerit, non eadem liquet claritate. Etenim censent aliqui theologi non esse impossibile seu repugnans, quod alicui creaturae conferret Deus creandi potentiam, etiamsi de facto non concesserit. Paucis quid hac in re sit probabilius aperiam.

16. **Dico I.** De potentia ordinaria fieri non potest ut ulla existens creatura quidquam creet.

Nam si haberet creatura aliqua ejusmodi potentiam, ac actum seu usum fuisset illi a Deo collata; nihil enim inane ac inutile est in Dei operibus: *quae a Deo sunt, ordinata sunt, ait Paulus* (1). Atqui, ut probatum est, solus Deus creavit, ita ut sit creatio quasi attributum, quo a creaturis discriminatur: *qui autem omnia creavit Deus est, ait ipse Apostolus* (2); Et in Apocalypsi dicitur: *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam... quia tu creasti omnia* (3). Unde Athanasius dicit: «Administrare creaturarum est, servorum est; condere autem et creare solius Dei, ejusque Verbi et Sapientiae» (4). Et Augustinus (5): «Omnipotentem Deum credimus, qui, omnia faciens, factus non est; et ideo omnipotens est, quia de nihilo fecit quaecumque fecit... Hoc est enim esse omnipotentem, ut non solum fabrica ipsa, sed etiam materies ad illo inveniatur esse.»

17. **Dico II.** Neque de potentia absoluta fieri potest ut creatura aliquid creare valeat.

1.º Virtus creandi nobis, in sacris Litteris et apud SS. Patres, tamquam Dei attributum et cultus supremi motivum proponitur. Atqui quod ita Dei proprium existit non est creaturae communicabile; ergo neque de potentia absoluta potest virtus creandi inesse creaturis. *Maj.* ex nuper dictis patet.

2.º In creaturarum universitate supremos condidit Deus entium ordines, substantias, scilicet, spirituales et simplicissimas, ac donis ornatas supernaturalibus usque ad Dei visionem ac beatissimum fruitionem; imo et substantialem cum Deo unionem in Christo D.; tamen virtus vel minimam quamlibet rem creandi nulli fuit impertita creaturae: ergo censendum est, ita Dei propriam esse, ut absolute sit incommunicabilis.

(1) Rom. XIII, 1.—(2) Hebr. III, 4.—(3) Apoc. IV, 11.—(4) Orat. 3, *adv. Arian.*—(5) *De symbolo*, ser. 2, 6.

18. 3.º Ex ratione haud facile est thesim demonstrare. Primi theologorum et scholarum duces, in aliqua solida et evidenti demonstratione non consentiunt. S. Thomas, analyticis, ut solet, et abstractissimis utens argumentis, sic probat; primo. Per creationem non producit res secundum talem vel talem essendi modum, sed absolute et simpliciter producitur *ut sit*: effectus ergo creationis est universalissimus, scilicet ipsum esse rerum creatarum. Atqui effectus universalissimus reducitur ad universalissimam causam, primam nempe, seu Deum; ergo ad solum Deum spectat creare.

Acutum quidem ac verisimile argumentum! At veretur mens ne obrepat ac lateat in eo fallacia, dum ab illa abstractissima ratione *essendi*, in qua omnia conveniunt entia, ad illud peculiare et proprium esse cujuslibet rei creatae fit transitus. Id quidem perspicue elucet, ad omne esse creabile solam primam causam proportionatam existere; sic ait S. Thomas (1): «Unde si consideretur emanatio totius entis universalis a primo principio, impossibile est quod aliquod ens praesupponatur huic emanationi:» in quavis autem singulari creatura, nihil producitur universale; nec accidens aliquod universale, neque substantia, neque esse quodcumque, sed quidquid in ea causatur est singulare et individuum. Ut quid ergo ad id sufficiens non erit causa aliqua secunda et particularis? Praesertim cum non sola operetur et independenter, sed cum prima, ut infra dicitur.

19. Secunda ratio. Cum aliquid creatur, producitur absolute ens; nihil enim praesupponitur cui applicetur ratio *essendi*. Quicumque ergo aliquid creat, quodcumque ens potest creare; nam virtus illius ad omnia creabilia pariter respicit. Quemadmodum, si quis produceret naturam humanam absolute, non posset ipse esse homo. quippe se ipsum produceret: sic nequit creatura ens aliquid creare, sed applicare tantum modum aliquem essendi huic vel illi entitati; quemadmodum et naturam humanam huic vel illi individuo humanae naturae; hoc autem non est creare, seu ex nihilo producere.

Iisdem subjicitur difficultatibus haec ratio. Nam creatio solum producit *absolute ens*, quatenus illius entis quod creatur, puta, *rosa*, nihil praesupponitur; non vero quod virtus creans adaequet totam entis latitudinem: non enim, quia Deus sub latitudine entis invenitur, posset et creare se ipsum. Sufficit ergo ut causa adaequet, virtute sua creativa, perfectionem entis quod creare valet, quemadmodum opus est ut causa prima adaequet perfectionem omnem entis creabilis; non autem oportet quod virtus illius creativa amplectatur etiam ens necessarium et increabile.

(1) P. I, q. 45, a. 1, c.